EPIGRAMMATA.

Numerò octodecim,

POTENTISSIMO GALLIARUM CÆSARI, REGI ITALIÆ,

nec non

Invictissimo exercituum Duci

NAPOLEONI

Pauló Priùs

Pacem cum Italis & Auſtria, nunc cum Russis & Prussia poſt cruentum bellum, & innumeros conflictus ſtabilienti.

DEDICATA

Anno 1807. Varsaviæ.

Omnia vincit amor, vincit grave prælia ferrum. Vat. an:

AD GALLIAM.

I.

Cerne! Triumphator Tuus, o Gens Gallica præstans!
Quanta trophæa *tulit*, cerne! quod egit opus.

II.

Arma strepant Aliis, Tu felix Russia gaude!
Quòd Tibi jam pacem dat Bonaparte bonam.

III.

An Bonaparte comes Martis? non: Jupiter exstat;
Plùs Jove quinetiam, plús quoque Marte valet.

IV.

Diceris, an primus Dux? num vir es alter Achilles?
Plùs es Achille viro, plús Duce quôqué nites!

A

V.

Facta, Virumqué cano, multis qui regnat in oris,
Plurima Regna creat Rex BONAPARTE potens.

VI.

Quos? & ubi? vincis Cæsar pugnax inimicos?
Victor es in flammis, Victor es ac in aquis.

VII.

Te Duce, Te BONAPARTE plagas certante per amplas,
Gallia magna licét, Te Duce major adest.

VIII.

Arma gertens, armîs pacem plûs Cæsar amavit,
Pace frui multis, nunc dedit Eius amor.

IX.

Versibûs a quodam canitur (BONAPARTE) pòéta,
Vatibus a cunctis, dignus in orbe cani.

X.

Terrigenas Cæsar regis in terris! rege posthac.
Jn coelis superos, poſtulo, coelicolas.

XI

En! toto celebris Victor BONAPARTE triumphat in orbe!
Est supra numerum versus, & Eius honor.

XII.

Dux Magnus BONAPARTE fuiſti hucusqué per orbem,
Sed modò Ductor abhinc maximus Orbis eris!
Laus tibi sit, grates uná sint; clara Vienna,
Marte tuo, quòd adhuc sospes & alma manet.

XIII.

Qua vi NAPOLEON hoſtes ferit? ense propinquos
Hic secat, instantes amovet igne procul.
Insuper adversas classes tot mergit in undis,
Caſtra locat sapiens, æquora tutus adit.

XIV.

NAPOLEON gravibûs superari nescius armîs!
Tu potiús superas arma nociva viris!
Sic igitur luctare (coactus) solis ab ortu
Donec ad occasnm plura trophæa feres.

XV.

Magnus Alexander veterem devicerat orbem,
Tuqué novum vincis! sic fere plura facis!

Res antiquæ plùs valùere recentibûs olim,
Plûs valet antiquîs res modò cuncta recens.
Ille fuit fortis; Tu Rex es fortior illô,
Alter Alexander robore maior ines!

XVI.

Belliger o Cæsar! generoso milite cinctus,
Sat magnos fructus, sat cumulasque decus!
Nunc ubi conticuit Mars sævus, & arma quiescunt,
Spes maior fructûs omnibus instat abhinc.

XVII.

O felix Heros! & quô felicior ullus,
Non fuit. et nunquam faustior esse potest:
Tu subigis gentes solidas, Tu sternis & arces!
Ingeniô, ferrô, viribûs, arte, manu.

XVIII.

Celsior o cunctîs Mavors, clarissime Ductor!
Vix cui par veterum Victor adesse queat,
Si divis æquem ducibus te? tunc eris impar!
Invictis tantum par potes esse Diis!

DAMNA BELLI, PACIS LUCRA.

Pax pia Regna diu servat, discordia perdit. Vates Anonymus.

E L E G I A.

Planctibûs heu! miserîs luimus nos bella tremenda,
Ah! quibûs immensæ non rapiuntur opes?
Quæ nequeunt hoſtes ferre, aut abducere, vaſtant;
Tot cremat insontes hoſtica flamma casas.
Prælia dum fèrvent, totus confunditur orbis,
Perditur infeſto marte locuples ager.
Nec mora, ne requies passim conceditur ulli,
Sed mage quisque, dolet, quisque gemit, queritur.
Undique vox omnes penetrat lacrymabilis aures,
Undique luctisonîs fletibûs aura fremit.
Mars ubi sævit atrox; sævit grave crimen ubique;
Polluitur castus virginitatis amor.

Diffugiunt multi, multoqué labore relicto;
Pluribus apparet mortis acerba via.
Defficiunt septi pugnîs surgentibûs horti,
Sangvis ubique fluit, corpora cæsa iacent.
Mille necare poteſt homines vir bellicus unus,
Cùm vitam haud uni reddere mille queant.
O mala sors belli! potiùs rupesqué vocanda!
Heu! quâquàm allisæ tot periêre rates.
Quas populo vitas non sustulit armiger unus?
Cùm possint unum vix generare duo.
Quis fuerat primus, qui ferrea protulit arma?
Is ferus, atque ferè ferreus author erat.

Horrida bella cadant; pacem te poscimus omnes,
Pax homines generat, servat & omne genus.
Pax segetem gignit, pacis seges exsztat amica.
Pax populum salvat, tartara bella vorant.
Quisquis amat pacem tunc sedulus optat eandem,
Nulla salus bellô, quilibet odit idem.
Christus ab excelsis veniens non intulit arma,
Sed voluit pacem ferre cuiqué suam.
Pax vobis dixit quondam; sed denuo dicit:
Quod minùs in nobis pax erat, atque quies.
O rerum, mistiqué salus, concordia mundi!
Quâ nunquam quidquam dulcius orbis habet.
Te populus cunctus, te desuper aſtra peroptant,
Innumerus numerus te quoque plebis avet.
Sub juga bos properet; sub terram semen arandam,
E nobis quivis otia pacis amet.
Vivite felices Russi, vive Austria felix!
Quòd vobis pacem Napoleon tribuit.
Nulla dies illam vobis, & foedera rumpet,
Nulla nocebit abhinc sors inimica domi.
Vive dein prosper pariter, Rex Magne Pruthenus!
Tempore quòd longo pace fruêris item.

A. Ł.